



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De potentiis præsertim intentionalibus entis spiritualis in
communi sumptis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

LIBER SEPTIMVS.

De potentiis, actibus, & obiectis entis incorporei negativæ sumpti, siue entis spiritualis.

TRACTATUS I.

De potentiis præsertim intentionalibus entis spiritualis in communi sumptis.

CAPVT I.

Potentias animi, & cuiusvis entis spiritualis ab eo indistinctas realiter esse verius est.



HANC sententiam arbitror expressam esse Augustini lib. 10. de Trinit. cap. 11. Ibi: hæc igitur tria memoria, intelligentia, & voluntas: quoniam non sunt tres vite, sed una vita nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique nec tres substantie sunt, sed una substantia, Bernardi ferm. 11. in cantica ibi: in anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem; & hæc tria eandem esse animam. Claudiani lib. 1. de statu animæ cap. 24. ibi: Verum tu idcirco, vel maxime de animæ statu falleris, quia aliud animam, aliud animæ potentias credis. Isidori lib. 1. origin. cap. 1. ibi: dum ergo viuificat corpus, anima est; dum scit, mens est; dum vult, animus est; dum recolit, memoria est; dum rectum iudicat, ratio est; dum spirat, spiritus est; dum aliquid sentit, sensus est. Ac tandem Hugonis Victorini, vel alterius Authoris in doctrina Augustini verisimilissimi in lib. de spiritu, & anima ibi: Dicitur namque sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia, & hæc omnia in anima nihil aliud sunt, quam ipsa. Eandem sententiam tuentur Doctores Scholastici non exigui nominis, in quibus sunt Bonaventura, & alij plures, quos referunt Conimbricenses lib. 2. de anima cap. 3. q. 4. Item cum Scoto eius asseclæ, cum Okamo Nominales, & ex nostris Hurtadus, Arriaga, & plerique neoherici.

Missis autem argumentis leuioris momenti vnico, eoque efficacissimo hanc sententiam probo: si daretur aliqua voluntas ab anima realiter distincta; ea quidem amaret suum obiectum, absque eo, quod illud cognosceret: consequens autem falsum est, aut falsum non est, quod omnes admittunt, nihil volitum, quin præcognitum sit. Sequela vero perspicua est: voluntas enim illa ab anima distincta non est intellectus: ergo obiectum suum non cognoscit, nec intelligit, & tamen illud amat, igitur amat quod non cognoscit. Quod si voluntas ab anima realiter indistincta sit; pari ratione intellectus, memoria, facultas sensitiva, generatiua, nutritiua, loco motiua, & reliquæ omnes ab anima indistinctæ erant, cum omnium par sit ratio, & parem in omni-

bus vim aduersariorum argumenta habeant.

Respondent communiter Thomistæ, voluntatem, licet distinguatur ab intellectu, obiectumque non cognoscat, illud tamen amare posse per sympathiam, quam habet cum intellectu secum in eadem anima radicato, ac tale obiectum præuie cognoscente. Inficias ire non possum hanc sympathiam inter res à Deo creatas haud raro experiri: idque forsitan ostendam lib. 9. huiusmet operis, cum de indiuisibilitate animarum sermo erit. Caterum quod in præfati locum non habeat, quodque nihil conferre possit, ut voluntas obiectum sibi incognitum amet, ita ostendo. Voluntas quantauis sympathia cum intellectu prædita sit, nequit tamen diuinitus amare obiectum, cuius bonitas sibi non proponitur: ac bonum solum cognitum ab intellectu, & non voluntate, voluntati non proponitur: Siquidem proponi bonum est cognosci, & consequenter proponi alicui est ab illo cognosci: Vnde proponi voluntati est ab illa cognosci: cum igitur bonum à solo intellectu, & non à voluntate cognoscitur, certè voluntati non proponitur: ergo ab ea amari non potuit. Minor, & consequentia manifestæ sunt. Maior etiam non minus manifesta videtur: Quia tamen negatur, hunc in modum ostenditur: si voluntas potest amare bonum, quod sibi non proponitur, posset saltem diuinitus illud amare, esto ne intellectui quidem per cognitionem proponeretur: atque ita cognitio non esset simpliciter necessaria ad amorem: quod ne ipsi quidem aduersarij admittunt. Sequelam probo, quia ad hoc, ut voluntas amet obiectum, multo magis requiri videtur eius bonitatem proponi voluntati, quæ sola est amorem elicitura, quàm intellectui, ad quem amor non pertinet: at voluntas potest etiam naturaliter amare obiectum, quod sibi non proponitur: ergo à fortiori poterit saltem diuinitus amare obiectum, licet alteri facultati à se distinctæ, nimirum intellectui non proponatur.

Argumentor secundo contra præfatam solutionem: admissa distinctione potentiarum ab ea negari nequit, quin Deus Petrum intellectu suo diuinitus spoliare posset; eumque vel in lapide, vel in alio homine collocare. Ita Ferrara 2. contra Gent. cap. 63. & Sotus in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 5. & P. Suarez lib. 2. de anima cap. 1. & quidem ni fallor efficaciter probari potest contra B. Thomam 1. 2. quæst. 110. art. 4. Capreolum, Caietanum, & alios: maior est dependentia potentiarum ab anima, quam animæ à suis potentiis, cum illa sit à priori, hæc à posteriori: ac potest Deus miraculosè conseruare potentias animæ sine ipsa: sicut proprietates substantiæ panis absque ipsa in Eucharistia conseruatur: ergo à fortiori animam sine potentiis per miraculum conseruare potest. His statutis ad propositum reuertor: si posset voluntas amare obiectum à se incognitum vi solius sympathiæ cum intellectu illud cognoscente, atque in eadem anima secum radicato; posset etiam voluntas Petri omni intellectuua potentia destituti obiectum aliquod

aliquid amare, vi nimirum sympathiæ cum suo intellectu tale obiectum in lapide, vel alicubi aliàs cognoscente. Consequens non admittitur ab aduersariis, nec admitti potest: quis enim vsque aded insanit, vt Petrum voluntatis suæ actu aliquo amare posse putet obiectum non solū absque illius cognitione, sed etiam absque intellectu, per quem illud cognoscere queat, aut aliquem amare posse, quin cognoscat, & quin etiam cognoscituius sit. Sequela probatur: quia vt vnum operetur per sympathiam cum alio, necessaria non est vnio, aut coniunctio vtriusque, imò nec approximatio localis vtriusque requiritur: sic vnus cytharæ corda pulsata altera ei concinis, & in eodem puncto temperata, quamuis longo intervallo distet, propter sympathiam tamen altera impercussa omnino tremiscit: sic etiam scorpium, & eliotropij flores per sympathiam cum sole, à quo immenso interstitio seiuncti sunt, ad eius tamē motum conuertuntur: sic tandem ad lunaris globi longissime à nobis positi per circuitum mare per sympathiam iuxta complures æstuat, & cōtinuo fluxu, ac refluxu agitur: igitur quantumuis intellectus, & voluntas Petri in eadem anima non coniungantur, nec ea mediante vniantur, sed altera facultas in lapide, altera in Petro existat, cognoscente tamen intellectu separato Petri obiectum aliquod, illud etiam per sympathiam eius voluntas amare poterit.

Argumentor tertio contra eam solutionem: fieri nequit, vt voluntas amet naturaliter aliquod obiectū, quin intellectus vt minimum illud cognoscat, aut vt appetitus materialis aliquod obiectum appetat, quin sensus materialis illud cognoscat: ita etiam ij, quibuscum congregimur: at si voluntas posset amare obiectum sibi ignotum per sympathiam cum intellectu illud cognoscente, esse posset, vt voluntas amaret aliquod obiectum ab intellectu incognitum propter sympathiam cum sensu materiali in eadem anima radicato, idemque obiectum cognoscente: atque vt appetitus materialis aliquod obiectum à sensu materiali non perceptum appeteret tamen ob naturalem consensum cum intellectu tale obiectum cognoscente.

Respondent secundò, intellectum, & voluntatem ab anima quidem realiter distingui, sed non interse: ac proinde voluntatem nunquam ferri in incognitum. Ita Durandus in 1. dist. 3. q. 3. & 4. quem alii sequuntur. Cæterum hæc solutio mihi nunquam probari potuit: etenim si quamuis intellectus, & voluntas diuersa obiecta respiciunt, verum scilicet, & bonum, diuersosque etiam, & valde dissimiles actus fortiantur, videlicet cognitionem, & amorem, diuersæ tamen potentie non sunt; cur etiam eadem indiuisibilis facultas in homine sit non solum intellectus, voluntas, & memoria, sed etiam sensus interior, & appetitus ei respondens; visus etiam, auditus, tactus, olfactus, gustus, necnon potentia loco motiua, nutritiua, & generatiua quantumlibet hæc omnes potentie diuersa obiecta, dissimilesque actus fortiantur. Consequens est absurdum, & ab ipsis aduersariis negatur.

Rursus impugnatur ea solutio: quia iuxta eam facultas simul cognoscitiua, & volitiua esset, & non esset perfectior anima spiritali, cui inhaeret: non esset perfectior, quia anima quidquid est in homine, imò & excepto Angelo, quidquid est extrahominem perfectione superat. Ita Aristoteles lib. 7. Politicor. ibi: *anima pretiosior est corpore, & omni possessione, & omnibus aliis bonis.* & Cicero Parado. 1. *Nobis Deus, suæ mater rerum omnium natura dedit animum, quo nihil est præstantius, neque diuinius.* Deinde facultas

illa simul intellectuua, & volitiua esset perfectior anima nostra: siquidem illa facultas proprie & immediate potest intelligere reminisci, & amare, meteri, & demereri, Deumque clare conspiciere, eoque beatissime frui: ea libertatis arbitrio gaudere, quo cæteras facultates moueat, iisque imperet: ea innumeras obiectorum varietates apprehendere, & conficere potest, & mira quadam reflexione discernere quid in iis, quæ cognouit, verum, aut falsum sit; quid ex quolibet illorum sequatur, aut cuiuslibet eorum repugnet; quid sibi fugiendum, aut amplectendum sit. Ea facultas celeritate cognitionis maria, ac terras, calique ipsius profunditatem in ictu oculi transuolat, ac volitionis suæ incredibili volubilitate cogitationis suæ velocitatem assequitur: at hæc omnia proprie, immediateque exercere nequit anima, nec nili immediate, & improprie ei conueniunt: ergo perfectior erit ea facultas, quam anima ei substat.

Respondent tertio, voluntatem quantumlibet distinctam ab intellectu non amare incognitum: non quia cognoscit id, quod amat, sed quia nec amat, neque cognoscit, tantumque amorem, per quem anima est amatura, velut eius principium efficit. Hæc solutio multorum plausu excipitur, cum tamen ab omnibus explodi debeat. Primo namque manifesta sententia Patrum est, voluntatem velle, & amare: quorum censu prætermisso vnus sufficiat Augustinus de libero arbitrio sic inquit: *voluntas auersa ab incommutabili bono, & conuersa ad proprium bonum, aut ad interius, aut ad exterius, peccat: ad proprium conuertitur, cum suæ voluntatis vult esse: ad exterius, cum aliorum propria, vel quacumque ad se non pertinet cognoscere studet: ad interius, cum corporis voluptatem diligit.* Deinde impugnatur ea solutio, quia iuxta eam non vna voluntas esset in homine, vt communiter, & merito ab omnibus existimatur: sed potius innumera in eo voluntates, siue potentie volendi essent: anima enim, quæ iuxta Authores solutionis huius vult, voluntas negari nequit: quid enim magis proprie voluntas, quam id cuius volendi partes sunt? Rursus qualitas illa volitionis effectiua vt anima, & non ipsa velit, de aduersariorum sententia voluntas est. Præterea habitus supernaturales omnes, ac singuli sunt voluntates hominis: id circo enim ea, quam aduersarij voluntatem appellant, talis re vera est, quia volitionem efficit, licet per eam minimè velit: cur igitur quiuis habitus supernaturalis spei, charitatis, iustitiæ, aut alterius virtutis voluntas non sit, cum volitionem efficiat: idque multò magis perfecte, quam ea, quam aduersarij voluntatem comminiscuntur. Pari ratione inferri potest iuxta eam solutionem in homine innumeros esse intellectus, videlicet præter eum, quem aduersarij admittunt, animam ipsam, omnesque species impressas, quæ ad actum intelligendi concurrunt: at hæc, quæ ex solutione illa sequuntur, omnium consensu falsa sunt.

Respondent quarrò & vltimò, solum illud principium debere cognoscere obiectum, quod illud amat, vt quod, non vero vt quo solum: cum ergo voluntas non amet obiectum suum nisi vt quo, anima verò hominis sit, quæ amat vt quod, necesse non esse, vt voluntas obiectum amatura, illud præcognoscat. Hæc conclusio aduersariis familiaris vt patrum soliditatis, sic multum molestiæ habet, quid molestius, quam cum inanibus sonis; vacuisque verbis certamen inire? Quid difficilius, quam frivolas voces, ac nunquam prius tacituras, nunquam non reclamaturas impugnare? contra quas si quid obiciat obiectu validiores factæ repellant, atque instat

instat resonabilis echus ingeminata, & arguentem, & veritatem utriusque cum ludibrio confundunt: voces igitur ut vincantur, fugiendae sunt, earumque significatio adeunda: quare sic argumentor: voluntatem amare *ut quo* nil aliud significat, quam illam proprie, ac simpliciter amare, tamen non per modum principij radicalis sed per modum principij proximi, & immediati, ut merito aduersarij fatentur: alias si voluntatem amaret *ut quo* non esset absolute amare, sed amorem efficere, haec solutio ab ea, quae proximè impugnata est, nihil discreparet: & quidem nisi hoc significet amare *ut quo* nescio quid aliud sub illis vocibus latere possit: ac nulla potentia proprie, ac simpliciter amare potest obiectum sibi incognitum, ut constet ex iis, quae in impugnatione primae solutionis adduximus: ergo voluntas *ut quo* amare nequit obiectum, quod ipsa non cognoscit.

Argumentor secundo: longè magis perfecte amat voluntas obiectum, quam anima, cui inest: tamen altera *ut quo*, altera *ut quod* amet; nimirum quia anima mediata tantum, & radicaliter, voluntas vero immediate, & formaliter amat: qua ratione maiori proprietate calor aquae, quam aqua ipsa calefacit: circa quam doctrinam recolenda sunt, quae lib. 4. Physic. tract. 1. capite 2. de causa mediata, & immediata disseruimus: ac anima nequit amare *ut quod*, quin cognoscat obiectum, ut aduersarij docent: ergo à fortiori voluntas non poterit amare *ut quo*, quin amoris sui obiectum praecognoscat. Argumentor tertio. calor ignis non calefacit passum nisi *ut quo* atque in virtute ignis, cui inest: & tamen hoc non obstante nequit calor calefacere passum, quin hoc ipsi calori approximetur, ac physice seu localiter praesens fiat: ergo similiter licet voluntas *ut quo* tantum, atque in virtute animae velit obiectum, non poterit tamen velle obiectum, quin hoc ipsi voluntati proponatur, & essentialiter, ac vi cognitionis ei representetur. Tandem argumentor: nequit anima amare obiectum *ut quod*, nisi etiam cognoscat obiectum *ut quod*, seu medio intellectu à se distincto, ut aduersarij tradunt: ergo nequibit voluntas amare obiectum *ut quo*, nisi illud *ut quo* cognoscat: cur enim ibi, & non hic modus amandi obiectum, modusque illud cognoscendi proportionentur? At voluntas non cognoscit *ut quo* obiectum: aliàs esset intellectus: ergo illud *ut quo* amare non poterit.

CAPUT II.

Argumenta contra ariam opinionem solvuntur.

Potentia animae, & cuiusvis alterius entis spiritualis ab eo realiter distinctas esse videntur cum B. Thoma, eius sectatores: quorum argumenta hic diluenda sunt. Arguunt primò: nulla substantia est immediate operativa: ergo anima non nisi per potentias accidentales à se distinctas operatur. Respondeo falsitatem antecedentis satis superque constare ex iis, quae discernimus lib. 4. Physic. tract. 7. cap. 1. Arguunt secundo: ex nostra sententia sequi, animam intellectu velle, & voluntate intelligere. Respondeo, eas propositiones veras esse, si non in sensu formali, sed in sensu identico, aut reali vsurpentur: earum autem veritatem in solo posteriori sensu, non verò in priori sequi ex nostra sententia, qui potentias tum inter se, tum etiam cum anima non formaliter, ac ratione nostra sed tantum realiter eandem esse profiteamur. Arguunt tertio ex B. Thoma 1. p. quaest. 77. art. 1. cuius haec sunt verba ibi: anima secundum suam essentiam est actus: si ergo ipsa essen-

tia anima esset immediatum operationis principium semper habens animam actu haberet opera vitae: sicut semper animam habens actu est vinum: non enim in quantum est forma, est actus ordinatus ad ulteriorem actum, sed est ultimus terminus generationis. Fateor me non percipere vim huius argumèti. Namque in primis calor est actus: & tamen reipsa est potentia calefactiva, siue alterius caloris productiva: cur ergo, quamvis anima sit actus, non possit esse potentia, siue, quod perinde est, actus ordinatus ad ulteriorem actum, quem valeat producere? Rursus anima vivificat corpus in genere causae formalis intrinsecae, cuius effectus supposita unione impediri nunquam potest: atque adeo mirum non est quod corpus habens animam actu semper vivat. Caterum anima exercet opera vitae in genere causae efficientis, cuius effectus multoties, multisque modis impediri potest ac solet: unde non est cur corpus habens animam, ob id semper habeat opera omnia vitae.

Arguunt quarto ex P. Suarez disp. 18. Metaphysic. sect. 3. numero 18. Et sequentibus: reliquae omnes substantiae potentiae à se distinctis adiuvantur ad suos effectus consequendos: ergo & anima. Antecedens inductione suaderetur: namque elementa, & mixta ut locos sibi salutaris ac naturales fortiantur, gravitatem aut levitatem à se distinctam habent. Rursus ignis calefacit appositam sibi materiam medio calore à se distincto: & aqua pariter medio frigore frige facit: materia etiam quantitate à se distincta eget, ut impenetrabilis sit, atque ut formas substantiales, & accidentales recipiat. Respondeo negato antecedenti, eiusque occasione hunc in modum aduersarios redarguo: ut elementa, mixtae ad centrum suum physice moveantur gravitate, aut levitate à se distinctis minime egent, ut lib. 8. Physic. tr. 1. c. 7. Late probatum manet: ergo similiter ut anima intelligendo, aut volendo, sentiendo, aut appetendo in obiecta sua intentionaliter feratur, potentiae à se distinctis non egebit. Deinde: tamen aqua, & ignis calorem, ac frigiditatem in extraneo subiecto medio calore, ac frigore sibi inhaerentibus producant, ne videlicet praesente causa uniuoca ad eius effectum causa aequiuoca concurrat, ceterum elementa illa calorem, ac frigiditatem in semetipsis per suas substantias producant, & non per qualitatem occultam, ac virtualem, ut contra lauellum, aliosque Thomistas lib. 4. Physic. tract. 7. cap. 1. ostendimus: ergo similiter anima actus vitales tam materiales, quam spirituales in semetipso per semetipsam, & non per potentias distinctas operabitur. Tandem lib. 3. tract. 4. cap. 3. Huius operis multis probatum est, materiam sine quantitate distincta impenetrabilem, ac formarum quarumcumque receptivam esse: ergo similiter, &c.

Arguunt quinto: omne principium indifferens eget alio, à quo determinetur: anima est indifferens ad multas, variasque functiones, nempe ad intelligendum, volendum, sentiendum interius, aut exterius appetendum, necnon etiam ad exercitia vitae loco motuque nutritivae & generativae: igitur eget potentiae à se distinctis, quibus ad has functiones determinetur. Respondeo, animam sufficienter determinari ad efficiendam immediate sensationem externam per speciem obiecti propriam, & per sensationem externam ad sensationem internam, eiusque speciem, & per has ad intellectionem, eiusque speciem, ac deinde per sensationem internam, ac intellectionem ad appetitionem materiale, volitionemque spirituale, & per has ad reliquas functiones; ac proinde multiplicandas non esse potentias distinctas eo solum finem,

ne, ut animam ad operandum determinent. Arguunt sexto: sicut anima est prima radix operandi in ordine naturali: ita similiter gratia est prima radix operandi in ordine supernaturali: at gratia concurret ad actus supernaturales non immediate, sed potius mediis virtutibus supernaturalibus à se distinctis, nimirum fide, spe, & charitate, nec non etiam habitibus supernaturalibus prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ &c. Ergo etiam anima non immediate, sed potius mediis potentiis à se distinctis ad actus naturales efficienter concurret. Respondeo: in primis hoc argumentum multum probare, ac per consequens nihil probare: etenim si exacta, atque integra proportio inter animam, & gratiam admittenda sit, anima quidem non vnā voluntatem, sed plures habebit, tot nimirum, quot obiecta formalia specie morali diuersa amplecti potest: haud aliter ac gratia pro numero obiectorum supernaturaliter amabilem totidem virtutum supernaturalium chorū ducit, animamque spe erigit, charitate accendit, temperantia cohibet, iustitia regit, misericordia emollit, aliisque innumeris habitibus supernaturalibus Deo amabilem, ac diabolo formidabilem reddit. Respondeo secundo: ideo virtutes supernaturales à gratia realiter distingui, quia ab ea realiter separabiles sunt, ut patet in peccatore, in quo fides, & spes gratiæ amissæ supersites sunt: at potentiæ animæ ab illa separari, eive subremanere non possunt.

13 Arguunt septimò: potentiæ specificantur ab obiectis, idest penes eorum diuersitatem specie distinguuntur: at anima plura obiecta formalia specie diuersa respicit, nimirum verum, & bonum, colorem, & sonum, &c. Ergo potentiæ animæ inter se specie differunt atque adeo ab anima etiam distinguuntur. Rursus potentiæ etiam specificantur à terminis, quorum productiue sunt: at anima terminos, effectusque specie diuersos respicit, utpote quæ intelligere, & velle, sentire, & appetere, nutrire, generare, localiter mouere, multisque aliis modis operari potest: igitur pro varietate harū operationum tum inter se, tum etiam ab ea distinguuntur. Respondeo: potentiæ realiter inter se distinctæ nec à terminis, nec ab obiectis specificantur: siquidem specificari est specie differre: differre autem specie nequeunt nisi quæ realiter distinguuntur: cum ergo potentiæ animæ realiter indistinctæ sint à nulla re specificabuntur: ceterum potentiæ realiter inter se distinctæ tum à terminis, tum etiam ab obiectis specificantur, non quod eadem potentia non possit respicere diuersos terminos, diuersaque obiecta formalia; neque etiam quod diuersæ potentiæ eundem terminum, idemque obiectum formale aliquando respicere nequeant; sed quia hoc ipso, quod aliquæ potentiæ realiter distinctæ ita comparatæ sint, ut altera respiciat aliquem terminum, aliquodve obiectum, quæ non respicit altera, non poterunt inuicem non specie differre, differentia numerica in specificam abeunte.

14 Occasione autem huius postremi argumenti libet aduersarios hunc in modum redarguere: si potentiæ animæ realiter distinguerentur inter se, & consequenter ab anima, maximè ob diuersos terminos, vel ob diuersa obiecta formalia: at neutro ex capite distinguui possunt. Quod enim non distinguantur ob diuersitatem actuum, & operationum ex eo constat: quia eadem indiuisibilis potentia plures operationes specie diuersas, multosque actus valde dissimiles elicit: ergo ex eo, quod potentiæ animæ diuersas operationes, diuersosque actus efficiant, earum inter se distinctio non sequitur. Antecedens probatur: siquidem iuxta ipsos aduersarios vnus, idemque intel-

lectus apprehendit, iudicat, & discurret; necnon clarè, & obscure, affirmatiue, & negatiue, aliisque innumeris modis cognoscit. Rursus vna, eademque voluntas amorem, & odium, intentionem, & electionem, desiderium, gaudium, amoremque strictum, item volitionem efficacem, & inefficacem, prauam, & studiosam aliasque elicit. Pari ratione quivis sensus internus externusve quantumvis sit vnus numero, plures tamen numero actus, & quantumlibet specie vnus sit, multas tamen specie operationes for-
15 titur. Iam quod potentiæ animi, alteriusve entis spiritualis mutuum inter se discrimen ex diuersitate obiectorum non accipiant, hac ratione probatur: eadem indiuisibilis potentia plura obiecta formalia specie diuersa respicit: ergo potentiæ animi propter diuersitatem obiectorum formalium distinguendæ non sunt. Antecedens inductione probatur: nam intellectus noster Deum, & creaturas, substantiam, & accidens, aliasque genera his inferiora; item entia realia, & rationis negatiua, & positiua, infinita quadam, & mirabili comprehensione attingit: voluntas etiam, cum eadem numero sit obiectorum tamen numero, varietate, ac præstantia intellectui non cedit: sensus internus, & communis obiecta omnia sensuum externorum, capacitate sua complectitur: actus etiam sensuum externorum in finis quatuor tamen primarias qualitates, & multas etiam secundarias attingit. Rursus suadet discriminem facultatum animi in obiectorum diuersitatem refundi non posse: duæ potentiæ multoties idem obiectum attingunt: ergo quod potentiæ sint distinctæ ex distinctione obiectorum, quæ sæpe nulla est, proficisci nequit. Antecedens suadetur: nam voluntas, & intellectus, cum iuxta aduersarios distinctæ potentiæ sint, idem tamen obiectum respiciunt, cum nihil voluntas amet, quod ab intellectu cognitum non sit, & nihil intellectus cognoscat, quod voluntas amare, vel odire non possit, si non tollit. Deinde potentia nutritiua, & potentia generatiua, cum distinctæ potentiæ iuxta aduersarios non paucos sint, tamen eundem specie terminum, siue obiectum habent, carnem v.g. hominis, quæ siue primò generetur, siue per nutritionem adquiratur, eadem specie est. Præterea si non dentur species insensatæ, sensus internus, & collectio sensuum externorum idem omnino obiectum sibi vendicabunt.

Plerique Thomistæ potētias, & actus ex obiectorū formalium diuersitate diuersitatem suā mutuari: ut autem argumentis factis satisfaciant, obiectum formale bifariam accipi posse tradunt. Primo in esse rei, secundo in esse obiecti, siue scibilis, aut volibilis: in primo vero sensu non renuunt, eandem indiuisibilem potentiam, eundemque actum tendere posse in diuersa obiecta formalia: & è contrario diuersas potētias, diuersosque actus in idem obiectum formale ferri posse: nam quamuis, inquirunt, intellectus & voluntas ferantur in idem obiectum in esse rei, & eadem omnino res cognitionem, & amorem terminet: ceterum vtrique facultas diuersum semper obiectum in esse obiecti respicit: & altera bonum, altera verum attingit; seu. quod perinde est, altera in re sub ratione volibilis, altera sub ratione scibilis tendit. Rursus licet intellectus in creatorem, & creaturas, aliasque obiecta in esse rei differentia feratur, omnia tamen in esse obiecti, siue scibilis, aut veri specie atoma conueniunt. Hac autem quæ de intellectu, voluntate docent hi Authores, seruata proportionē aliis potētis accommodant. Verum hæc solutio facile expugnari potest. Primo namque obiectum in ratione scibilis, aut volibilis

libilis intrinsecè, & essentialiter scientiam, aut volitionem possibilem includit; vel, quod in æquo est, connotat: ergo cum dicitur actus, & potentias differre, quia obiecta in ratione scibilis, aut volibilis differunt, nihil aliud dicitur, quam actus scientiæ, aut volitionis differre, quia differunt, nihil aliud dicitur, quam actus scientiæ, aut volitionis differre, quia differunt: quo quid absurdius dici potest? Secundo, quia iuxta datam solutionem non conspicio, cur intellectus hominis vnus tantum, & non potius multiplex sit? nam obiectum intellectus in esse scibilis varium, ac multiplex est, cum modo intellectus tendat in rem prout apprehensibilem, modo vt iudicabilem, modo vt discursibilem, nunc vt clarè, nunc verò vt obscure cognoscibilem, aliisque modis, quos referre molestum esset. Pari ratione voluntas iuxta eandem solutionem multiplex esset, cum rem prout amabilem, aut odibilem, intendibilem, aut eligibilem, aliisque modis prosequatur. Tertio iuxta eandem solutionem è conuerso intellectus, & voluntas esset eadem omnino potentia: siquidem obiectum idem in esse obiecti attingunt: & vtrique facultas in in omnem rem sub ratione intentionaliter attingibilis tendit: parique ratione facultas nutritiua generatiua, & loco motiua eadem omnino potentia esset, cum in eandem rationem formalem, sub qua ferantur, atque in rem quamcumque sub ratione physicè, & non intentionaliter attingibilis tendant.

CAPVT III.

Opiniones media examinantur.

16 **E**xaminatis duabus sententiis extremè oppositis, & altera probata, altera improbata, operæ pretium erit, opiniones inter vtramque medias, & nobiscum partim dissidentes examinare. Prior autem, & probabilior est, potentias spirituales hominis, cuiusmodi sunt intellectus, voluntas, & memoria à substantia animæ realiter indistinctas esse: ceterum potentias eius materiales, sensitivas, aliasque quascunque ab anima realiter distingui. Ita nonnulli quos suppressis nominibus refert P. Petrus Hurtado disp. 4. de anima sect. 4. §. 39.

17 **H**uius verò discriminis inter istas potentias primum fundamentum est: quia si potentia materiales animæ ab ea indistinctæ essent, non esset, cur anima à corpore separata illas secum non ferrer, in eoque statu videre, audire, olfacere, aliasque sensationes exercere non posset: consequens autem tam manifestè falsum est, quam manifestum est, sensum omnem, motumque cum vita perire. Sequela probatur: quia anima iuxta nostra principia est per suam substantiam sensitiva non minus, quam intellectiva: sicut ergo in statu separationis intelligere potest, quidni etiam & sentire? Verum hoc fundamentum leue est: nam primo dici potest, potentias sensitivas animæ, aliasque materiales ab ea realiter inadæquatè distingui, & includere animam ipsam, vt principium effectuum operationum materialium; organa vero corporea, vt principia earum receptiua; atque adeo mirum non esse, quod anima eiusmodi organis destituta sentire, aliove modo materialiter viuere nequeat. Rursus: si quod multi putant, anima non solum efficit, sed etiam recipit sensiores, & appetitiones materiales, responderi debet, animum in statu separationis potentias tam sensitivas, quam appetitiuas retinere, per eas tamen operari non posse ob defectum vnionis cum corpore, quæ est conditio necessaria ad

eiusmodi operationes, vt decursu huius capitis explicabitur.

18 **S**ecundum huius sententiæ fundamentum desumi potest ex Patre Vasquez tom. 1. in 1. 2. disputatione 34. cap. 2. principium effectuum motus localis aut vi doloris, aut vi etiam laboris in nobis, experientia teste, languescit, ac defatigatur: at nulla res omnino spiritualis, cuiusmodi est anima rationalis, languoris capax est: qua ratione Angelus sine vlllo languore cœlestes orbes perpetua, ac nunquam intermissa conuersione mouet: ergo anima rationalis non est principium effectuum motus localis nostri, sed potius aliqua facultas materialis ab ea adæquatè distincta, quæ vt corrumpi, sic languere potest: languor enim & lassitudo virium corruptio est. Rursus ex eodem aliter. Angelus eadem velocitate, ac facilitate mouet corpus, siue languidum, ac fatigatum sit, siue potius robustum: pari ergo ratione si anima per se immediatè mouet corpus, æquali celeritate illud mouebit, siue langueat, siue eius vires integræ sint: hoc autem repugnat experientiæ; iuxta eam igitur non anima, sed facultas aliqua materialis erit in nobis, principium effectuum motus nostri localis, aliarumque operationum materialium, quibus fatigamur. Hoc argumentum ingeniosissimi Doctoris, quamvis præcedenti probabilius sit, propositum tamen non includit. Quod vt innotescat, animaduertendum est, animam tametsi sit causa effectiua, sufficiens, & adæquata sensationum materialium, omniumque operationum vitalium, quæ exercentur in corpore; ad earum tamen effectum egere spiritibus animalibus, qui à cerebro ad membra motum vitalem subitura deriuantur: sicut enim vnio animæ cum corpore eius vim intellectiuam ita retardat, vt nisi dependenter à phantasmatis corporeis intelligere nequeat, licet separata iis minimè indigeret: ita similiter vnio illa efficit, vt anima se, aut corpus localiter mouere non possit, nisi dependenter à spiritibus illis animalibus à capite per nervos deriuatis, quamvis exuta corpore iis ad motum siue sui, siue corporis neutiquam egeat. Porro autem tales spiritus ad motus localis exercitium non effectiue, sed dispositiue concurrunt, nisi fortè anima rationali informetur: supposita enim tali informatione ex parte motum efficiunt, ex parte vero ad eum disponunt vi caloris, aliarumque qualitarum: haud secus ac calor, & aliæ primæ, & secundæ qualitates ad motum generationis ignis, aut aëris, alteriusve substantia disponunt.

19 **H**oc igitur præmissis, respondeo principium duntaxat receptiuum motus localis, nempe corpus nostrum, nimia agitatione languescere, ac defatigari; principium vero motus effectuum nullum languorem subire; atque adeo animam nostram, tametsi languoris suapte natura experta sit, principium tamen effectuum motus esse posse. Quod autem corpus nostrum, quamvis motum localem ab anima recipiat, eamque media aliqua facultate omnino corporea non efficiat, nimio tamen motu fatigari possit, in conspicuo est: tum quia non recipit motum ab anima nisi internentiu spirituum animalium: hi autem continuo exercitio motus localis euanescent, ac dissipantur: igitur eorum defectu corpus deficere, ac lassari poterit. Tum etiam, quia siquis curru feratur, quaque impetus egit, expatiantur equi, rapiantque per auiam currum, & modò summa petant, modò per decliue, viaque præcipientes sine lege ruant: is, inquam, languorem non mediocrem ex nimia illa succussione, ac violento motu contrahet: & tamen motum solum recipiet, & non efficiet: ergo vt corpus nostrum

nostrum langueat, & fatiscat, necesse non est, ut motum efficiat, fatisque erit, ut illum recipiat. Hinc etiam intelligi potest, cur anima æquali velocitate corpus languidum lassumque mouere non possit, ac si integrum, indefessumque esset: nam licet motum sola efficiat, eger tamen, dum est in corpore ad eius effectiōē ope spirituum animalium, quorum languente, ac fatigato corpore tanta copia non est: Angelus autē vel animus separatus idcirco corpus ægrum, aut fatigatum tam facile, ac velociter mouere possunt, ac si eius vires integræ essent, quia non egent ad corpus deficienter mouendū ope spirituum animalium, quibus deficientibus aliquid motui necessarium deficit.

20 Tertium, & cōmune huius sententiæ fundamentum est: si anima rationalis per seipsam immediatē, & non per aliquam potentiam materialem à se adequatē distinctam, sentiat, eiusmodi sensatio materialis in ipsa anima substantia immediatē recipietur: in eo enim subiecto recipi debet, quod per illam sentit: sicut albedo in eo subiecto tantum recipi potest naturaliter, quod album denominatur: at sensatio materialis in anima immateriali, & incorporea recipi nequit: sicut etiam è conuerso forma spiritualis in subiecto materiali recipi, ex eorū educi nullatenus potest: distinguenda ergo est ab anima aliqua facultas materialis, per per quam, immediatē sentiat, & in qua eius sensatio recipiatur.

21 Respondeo quintupliciter. Ac primò per instantiam. Assignent enim aduersarij subiectum, in quo potentia sensitiva recipiatur, & id sensuum ipsarum subiectum esse poterit. Nam aut recipiuntur in solo corpore, ut docet B. Thomas quæst. vnica. de sensibilibus creaturis art. 4. ad 3. & ita sicut anima est sensitiua per potentias in solo corpore receptas; cur etiam actu non sentiat per sensiones in solo corpore receptas. Aut tales potentia in corpore, & anima simul recipiuntur, ut insinuat B. Thomas. 1. p. q. 77. art. 5. Et quid verat hoc ipsum de sensione, ut affirmat? Aut demum reales potentia recipiuntur in sola anima quantumlibet materiales sint: atque ita ipsæ sensiones, non obstante earum materialitate, in sola anima spiritali recipi poterunt.

22 Respondeo secundò, sensiones materiales in sola anima rationali immediatē recipi. Quamuis enim oppositum huius teneat Huradus disp. 4. de anima à §. 28. omnia tamen eius argumenta parum, aut nihil concludunt. Arguit primò: res spiritalis nequit recipi, & subiectari in re materiali saltem adequatē, ut omnes in confesso habent: ergo è contrario res materialis, cuiusmodi est sensatio, in anima spiritali adequatē recipi non poterit. Concesso antecedenti nego consequentiam: quia res spiritalis constituitur essentialiter per independentiam à corpore, siue re materiali, ut ipsum nominis etymon indicat: ceterum res materialis, & corporea non constituitur essentialiter per independentiam à spiritu, sed per hoc, quod habeat partes extensas, aut impenetrabiles, aut corruptibiles, aut sensibiles, aut intellectu, & voluntate destitutas, aut certè per has omnes condiciones collectim sumptas. Sic Deus est independentis in genere causæ efficientis ab omni creatura, non tamen è conuerso.

23 Arguit secundò idem Author: sensio materialis est extensa, & integraliter diuisibilis: igitur recepta in anima rationali suum ei effectum formalem tribuet, eamque proinde extensam, & integraliter diuisibilem denominabit: quod tamen falsum est. Verum enim sensio materialis non debet communicare animæ omnia prædicata sibi conuenientia: sicut cognitio spiritalis cum intensa sit, animam tamen,

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

in qua recipitur, intensam non denominat: & sicut etiam iuxta aduersarios sensio materialis recepta in sola materia eam ens, accidens, aut viuientem non denominat, cum tamen ipsa has denominationes subeat. Tertio contra nostram solutionem argui solet: quantitas recipitur in materia, & non in forma materiali, licet etiam hæc extensa sit: ergo sensio in sola materia recipietur quantumcumque anima sentiat. Respondeo, quantitatem nec in materia, nec etiam in forma recipi, ut potè ab utraque omnino indistinctam. Deinde idcirco quantitas in sola materia recipitur iuxta aduersariorum principia, quia priori naturæ ad formam ei recipiendæ materiam disponit; atque ad eam in materia tanquam in subiecto adequato, & sufficienti recipitur: hæc autem ratio non militat in sensionibus, quæ materiam ad receptionem formæ non disponunt, sed eam receptam supponunt. Adde supposita distinctione quantitatis à materia probabilius esse quantitatem transactio primo instanti generationis tam in materia, quam in forma recipi, quantumvis in primo instanti introductionis formæ in sola materia recipiatur; nimirum quia ut diuersarij arguunt, pro priori ad formam materiam disponit. Sic frigiditas in primo instanti productionis aquæ ad eam disponit, & non ab ea, sed à generante producit, cum tamen in reliquis instantibus à forma aquæ efficiatur.

Quartum contra nostram solutionem argumentū est: si anima sola reciperet sensationem materialem, ea esset tota ratio sentiendi: at anima non est tota ratio sentiendi: aliàs separata à corpore non solum intelligere, sed etiam interius, exteriusque sentire posset. Respondeo, animam quidem esse totam rationē sentiendi, separatam tamen à corpore sentire non posse: tum quia eius vnio cum corpore est conditio sine qua non potest sensiones efficere aut recipere: tum quia sensiones materiales saltem mediāt, ac remote recipi debent in subiecto corpore: unde in anima non nisi vnita corpori recipi possunt. Tum quia, ut anima sentiat, opus habet speciebus impressis, quas tamen non in anima, sed in corpore recipi probabile est. Tum quia si causalitas materialis ab vnione distinguitur, ut multi aduersariorum censent, poterit sensio materialis per vnionem adherere corpori, quin per causalitatem materialem ei inhaereat: eiusmodi autem adhesio seorsum ab omni inhaesione sufficit, ut sensio sine corpore elici nequeat.

24 Respondeo 3. satis probabile esse sensiones materiales in solo corpore recipi, ut P. Hurdo ubi supra, & alij plures tenent: probabile, inquam, esse si sentire sit sensationem efficere, ac recipere. Argumenta autem, quæ à Neotericis contra hanc doctrinam obici solent, quamuis difficilia sint, solutionem tamen capiunt. Arguunt igitur primo: id recipit sensiones, quod per eas sentit: sicut id recipit albedinem, quod per eam album denominatur: at corpus suapte natura insensibile non sentit, soliusque animæ est sentire, ut per se notum videtur, & ab Augult. lib. 11. de Genes. ad lit. c. 24. docetur in hæc verba: *neque enim corpus sentit, sed anima per corpus*. Respondeo, corpus & animam sentire immediatē, & propriè: siquidem sentire est efficere, & recipere sensationem, ut gratis supponendū est: quare cum corpus recipiat sensationem, & anima illam efficiat, corpus & anima, siue vtriusque cōplexum sentit. Augustinus autem solum sibi vult animam, & corpus per modū vnus sentire, nec alterā partem sine altera eam denominationē subire: sicut dici consuevit, albedinem non esse propriè album, sed parietē per albedinem esse album; sed, quod perinde est, complexum albedinis, & parietis esse album.

C c

faceor

fateor tamen sensationem in sola anima recipi oportere, si quod verius est sentire sit recipere sensationem, illamve in se ipso efficere.

26 Arguunt 2. sensio materialis determinat animam ad hoc, ut appetitionem materialē efficiat; ergo ad talem effectum dirigit animam secundum se sumptam: nulla autem facultas à cognitione dirigi potest, nisi per eam cognoscat: ergo anima secundum se, & seorsim à corpore sentit, siue materialiter cognoscit; ac proinde sensationem recipiet. Respondeo in primis: quavis anima sentiat, non sequitur eam recipere immediate sensationē: poterit enim sentire per sensationē à se effectam, sibi que unitā vnione merea adhæsiua, non vero inhæsiua; si, quod plures aduersarij non renuunt, adhæsiō & inhæsiō realiter distinguuntur. Deinde secundo respondeo, sensationem materialē, ubi determinat animā solam ad effectum appetitionis materialis non dirigere intentionaliter ad talem effectum, sed duntaxat Physicē: ea ratione qua species determinat intellectum ad effectum cognitionis, quin per speciem impressam intellectus intentionaliter dirigatur, aut cognoscens denominetur. Arguit tertio, & præcedens argumentum corroborant: anima rationalis ad hoc ut liberè amorem efficiat, necesse habet prius cognoscere per iudicium indifferens bonitatem obiectiuam, quam amatura est: si enim libertatē exercere posset obiecto non prius cognito, posset etiam peccare, quin aliquid cognosceret: ergo etiam ad hoc, ut anima efficiat naturaliter appetitionem materialem, debet prius cognoscere obiectum appetibile per cognitionem sensitiuam non indifferenter, sed determinatam ad vnum: cum ergo anima sola & secundum se efficiat appetitionem materialem, eius solius erit sentire, atque adeo sensationē efficere. Respondeo rationem disparitatis claram, & manifestam esse inter effectum liberā, & necessariā appetitionis, nam anima ut liberè efficiat appetitionem spirituales, à cognitione obiecti sui dirigi debet: cum ergo nequeat dirigi physicē, seu antecedenter determinari ad eius effectum; alias eius effectio non esset libera, sed necessaria, necessarium est, ut dirigatur intentionaliter; ac proinde ut obiecti bonitatem præcognoscat: hæc autem ratio in appetitione materiali necessario producta non militat.

27 Quarto principaliter respondeo sensationem materialem tam in corpore, quam in anima rationali, tantum in duplici subiecto inadaquate recipi. Ita P. Rodencus & Arriaga disp. 3. de anima s. 1. sub. 2. n. 62. aliquē plures Neotherci. Quæ solutio, quod magis elucescat, oppones aduersus eam primò. Materia prima est adæquata causa receptiua formæ substantialis materialis: à fortiori ergo erit causa materialis adæquata sensationis materialis accidentariæ: huiusmodi igitur sensio non recipitur simul in anima rationali; alias præter vnā causam materialem adæquatā fortiretur aliam causam materialem. Sed neganda est prima consequentia: nec enim causa adæquata rei perfectioris eo ipso rem imperfectiorem adæquatè causare poterit, ut videre est in Deo, qui Angelum, animamque rationalem adæquatè, & se solo causat, cum tamen effectus causarum secundarum longè imperfectiores adæquatè non causet, sed tantū in adæquatè atque in consortio creaturarum, quibuscum ad eos concurrat. Id ipsum etiam videre est in homine, qui sine consortio, concursuque speciei intellectum producere, eiusve causa adæquata esse nequit; & tamen sine adminiculo alterius accidentis secum efficienter concurrentis substantiam alterius hominis generat, eiusque est causa secunda adæquata.


28 Opponi vltcrius aduersus eandem nostram sensationem ordine quartam solet in hunc modum. Si sensio materialis reciperetur in corpore, & anima rationali, haud dubiè esset, & nõ esset materialis: esset quidem materialis, ut supponitur: non esset omnino materialis: siquidem esset spiritualis. Spirituales futuræ cõstat: uti enim actus intellectus ab illo, & specie impressa proficiscens sequitur causam nobiliorem, & more intellectus vitalis euadit, non autem instat speciei non vitalis: parique ratione actus voluntatis proueniens à voluntate naturali, & habitu supernaturali causæ etiam præstantioris conditionem æmulatur, ac non naturalis sed supernaturalis est ita similiter sēsio recepta in materia, & anima rationali causæ receptiue magis perfectæ conditionem sequetur, & spiritualis, non materialis euadet. Permitto speciem impressam, eiusque concursus effectum in intellectione, nec non quod vitalis in actu primo non sit: dicoque effectum aliquando imitari causam nobiliorem, ut ex duobus exemplis nuper obiectis liquet; aliquando vero non imitari causam magis nobilem, ut perspicuū est, tum ex conclusione, quæ ex vna præmissa clara, & altera præmissa obscura deducta absolute inueniens atque obscura euadit; necnon ex homine, qui à corpore & anima intrinsecè causatus, non spiritualis more animæ, sed materialis ad instar corporis euadit. Quæ cum ita sint, sensio recepta in anima & corpore non propterea spiritualis erit, sicut anima nobilior eius causa spiritualis est: nimirum quia spiritualitas per independentiam à materia essentialiter constituitur: qua independentia caret sensio, quantumlibet in anima inadaquate recipiatur.

29 Quintò respondeo ad tertium, ac principale fundamentum opinionis mediæ ad initium capituli propositæ, sensationem scilicet materialem nec in anima, nec in corpore immediate recipi, sed fortassis in toto substantiali, & per se, quod ex iis resultat: eiusmodi autem totum corporeū, ac materiale esse. Quod autem hinc sequitur, totum illud sentire, inconueniens non est: imò benè conuenit communi proloquio, iuxta quod *actiones sunt suppositorum*, necnon etiam cum doctrina Arist. lib. de somno c. 1. ubi sic inquit: *sentire non est anima solius nec corporis, sed coniuncti, cuius est potentia*. Alij denique apud P. Suarez tom. 1. Metaph. Disp. 14. l. 3. n. 36. sextâ responsionē addunt, aiuntque sensationes omnes spirituales esse, paremque omnino earum, atque intellectionū esse rationem: quare totum argument. 3. esse de subiecto non supponente, cum sensationes materiales, quæ tamē nullæ sunt, supponat. Cæterum hi Authores difficultati succumbunt, facileque refelli possunt argumento desumpto ex animabus belluinis, quarum sensationes spirituales, esse quis asserat, aut ausit.

30 Hactenus de prima opinione mediæ, & quidem fuso calamo. Reliquum est, ut alias duas breuiter perstringamus: nec enim prolixam disputationem postulant. Secunda igitur opinio mediæ est, potentias materiales brutorum ab eorum animabus indistinctas esse: cæterum potentias materiales nostras à nostris animabus realiter distinctas esse, in eoquē à potentiis spiritualibus differre. Fundamenta autem huius sententiæ sunt, quæ pro præcedenti proposita, ac dilutata sunt; ea enim, iuxta assertores huius sententiæ, in homine, non vero in belluis militat, & non in his, sed in nobis potentias materiales realiter distinctas arguunt.

31 Tertia ac postrema opinio mediæ est Durandi, potentiam nutritiuā, & generatiuā ab anima non distinguui, quia cum terminus harum facultatum sit substantia, & sola substantia alterius substantiæ effectiua sit, necesse

neceſſe quidem eſt, vt anima per ſolam ſuam ſubſtantiam nutritionem ac generationem exerceat: hæc autem ratio non militat in intellectu & ſenſu, voluntate, & appetitu: harum enim facultatum termini ſunt accidentia, quæ à potentiis accidentalibus produci poſſunt, earumque perfectionem non excedunt. Verum & hæc etiam opinio parum ſermo fundamento innixa eſt: ſicut enim ſubſtantia eſt immediate productiua alterius ſubſtantia; ita à fortiori & accidentis: id quod in Phyſica lib. 4. tract. 7. oſtendimus ex profeſſo: ſicut igitur anima per ſuam ſubſtantiam ſe ſubſtantialiter nutrit, ac ſibi ſimile ſubſtantialiter generat: ita ſimiliter per ſuam ſubſtantiam cognitiones, & volitiones materiales efficere poterit.



TRACTATUS II.

De intellectu.

CAPVT I.

Quid ſit intellectus.

ILLud ante omnia ſtatuendum eſt, intellectum eſſe potentiam cognofcitiuam ſpiritualem, & hanc eſſe eius germanam definitionem: qua tum à potentiis ſenſitiuis, tum etiam à potentiis nullo modo cognofcitiuis diſſidet. Rurſus ſecundo ſtatuendum eſt, obiectum adequatum noſtri intellectus eſſe omne ens, cum experientia teſte nullum ſit, quod clarè aut confuſè non aſſequamur. Non repugnat tamen aliquis intellectus, qui ad aliqua tantum genera entium cognofcenda eſſentialiter adſtrictus ſit: quod licet à multis falſum ſupponatur, eius tamen probabilitas ſubluceat ex potentiis materialibus à Deo creatis, quarum alia plura, alia pauciora, nullæ tamen ferme omnia obiecta materialia cognofcere aptæ natæ ſunt, vt rectè arguit P. Arriaga diſp. 6. de de anima ſect. 1. nobiſcum aſſentiens. Quod autem attinet ad obiectum formale noſtri intellectus, licet Thomiſtæ cum B. Thoma 1. p. q. 64. art. 7. arbitrentur, illud eſſe quidditatem rei materialis. Scotiſtæ vero cum Doctore ſubtili in 1. diſt. 3. quaſt. 3. malint eſſe verum: cæterum ambo de nomine altercantur, ac facile conciliari poſſunt: ſi enim ſermo ſit de intellectu ſecundum ſe ſumpto, eius obiectum formale quo, ſiue ratio formalis ſub qua eſt verum, ſeu cognofcibile: ſi autem ſermo ſit de intellectu prout vnito corpori, eius obiectum formale quod proprium, id eſt, per propriam ſpeciem cognofcibile eſt ſola quidditas rei materialis, nimirum quia in hoc ſtatu ſolas res materiales, non vero ſpirituales per proprias earum ſpecies cognofcere poſſet. Præterea tertio ſtatuendum eſt contra Capreolum, alioſque Thomiſtas intellectum noſtrum formare proprium, ac diſtinctum conceptum rei ſingularis: id quod conſtat, cum ex diſtinctione illa, quam vel ipſi aduerſarij agnoſcunt inter rem ſingularem, & vniuerſalem: neque enim diſcernere poſſent inter vtramque, niſi nō ſolum vnius, verum etiam alterius proprium, ac diſtinctum conceptum formarent. Idipſum conſtat ex his præmiſſis mentalibus: *omnis homo eſt animal: Petrus eſt homo.* Quod autem quidam reſpondent, ſubiectum minoris eſſe in phantaſia, & prædicatum in intellectu, videndū eſt: quia non niſi vna potentia confert, & iudicat: ea ergo tam ſubiectum, quam prædicatum concipit: alias quo pacto ea conferre poſſet? ſtatuendum quarto eſt

R. P. Richardi Lincolni, Philoſoph. Tom. III.

contra eoſdem, intellectum noſtrum non ſolum diſtinctè cognofcere ſingularia, ſed etiam ea cognofcere per proprias ſpecies impreſſas: cur enim dari nequeat ſpecies impreſſa intellectualis obiecti ſingularis propria? haud aliter ac eius dari ſpeciem expreſſam propriam iam iam vidimus.

Statuendum quinto eſt contra plures etiam Thomiſtas, intellectum noſtrum cognofcere res ſingulares directe, & non reflexè in phantaſiatis. Primo quia phantaſia iuxta ipſos directe cognofcit ſingularia: ergo à fortiori intellectus, quæ eſt potentia magis perfectæ. Deinde quia ſicut intellectus cognofcit directe ipſum phantaſma ſingulare, cur non etiam alia quæque ſingularia. ſtatuendum eſt ſextò contra ipſos, ſingularia prius ab intellectu noſtro cognofci, quam vniuerſalia: ſiquidem omnis cognitio noſtra in hac vita incipit à ſenſu, & prima ſpecies, quam habet intellectus, eſt alicuius obiecti per ſenſum prius cogniti: cum ergo ſenſus ſit ſingularium, neceſſe quidem eſt, vt prima ſpecies impreſſa, atque adeò expreſſa noſtri intellectus ſit alicuius rei ſingularis. Ariſtoteles autem 1. Phyſicor. aſſerens, vniuerſalia eſſe priora in cognitione minus vniuerſalibus, tantum ſibi vult in quauis ſcientia vniuerſalia principia, rerum ſingularium, ſeu minus vniuerſalium notitiæ, & explicationi præmitti debere, & hunc vt plurimum doctrinæ ordinem meliorem eſſe. Statuendum ſeptimò contra eoſdem eſt, intellectum noſtrum poſſe vno actu cognofcere plura vt plura: eadem enim res realiter plura cōnotare poſſet, vt patet vel in anima noſtra, quæ tot, ac tam diſtinctas operationes reſpicit: cur igitur vnus actus plura obiecta vt plura, atque diſtincta connotare nequeat? ſtatuendum octauò eſt contra Albertum, Aueroem, Auicenam, intellectum in hac vita intelligere naturaliter non poſſe, niſi dependenter ab operatione phantaſiæ: tum quia id expreſſè docet Ariſt. 3. de anima text. 39. quæ plerique Philoſophi, ac Theologi ſequuntur: tum quia læſa phantaſia læditur operatione intellectus: & impeditur omnino phantaſia, aut vi morbi, aut vi ſomni, impeditur omnino intellectus operatio: ſignum igitur eſt, alteram facultatē niſi adimiculante altera operari non poſſe: tum etiam quia alias intellectus noſter ſemper, & abſque vlla fatigue intelligeret: haud aliter ac Angelus indefeſſo conatu intelligit, hoc ipſo, quod phantaſmatis ad intelligendum non egeat. Tum demum quia experimur abſque imaginibus rerum ſenſibilium obiecta etiam ſpiritualia nos intelligere non poſſe: at hæc imagines ad intelligendum per ſe non requiruntur, vt patet in Angelo, & animo ſeparato. ergo tantum per acciſſas requiruntur ad intelligendum, videlicet quia neceſſariæ ſunt ad operationem phantaſiæ, ſine qua intellectus in hac vita intelligere non valet.

CAPVT II.

Diuiſio intellectus in agentem, & patientem, aliasque ſpecies.

IN primis ſtatueda, & explicanda eſt celebris illa diuiſio intellectus in agentem, & patientem ſiue poſſibilem, intellectus agens communiter dici ſolet facultas illa, quæ abſtrahit ſpecie impreſſam ſpiritualem à phantaſmatibus, ſiue quæ dependenter ab operatione phantaſiæ ſpeciem intellectualem efficienter producit: intellectus patiens, ſiue poſſibilis eſt, qui talem ſpeciem recipit, & per eam eſt in actu primo proximo ad ſpeciem expreſſam recipiendam, & efficiendam, atque ad cognofcendum vi illius. Porro autem non parua eſt controuerſia, quænam ſit hæc facultas productiua ſpecierum, quæ intellectus agens

Cc 2 nunc